



AD MEMORIAM
VIRI
PRAENOBILISSIMI AMPLISSIMI
DOCTISSIMI
M. IOANNIS GOTTLIEB
BIDERMANNI

RECTORIS GYMNASII FREIBERGENSIS
MERITISSIMI CELEBERRIMI
ORATIONIBVS ALIQVOT RECOLENDAM

HVMANISSIME INVITAT
M. DAN. GOTTH. IOSEPHVS HVBLERVS
CONR.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXXVIII.

AD MEMORIAM
VIRI
PRAEHOEISSIMI AMPLISSIMI
DOCTISSIMI
M. IOANNIS GOTTLIEB
BIDERMANNI
RECTORIS GYMNASII FREIBURGENSIS
MERITISSIMI CELEBRISSIMI
ORATIONIBUS ALIOVOT RECOLENDAM
HUMANISIME INVITAT
M. DAN. GOTTL. JOSEPHUS HILBERS
CONS.

FREIBURGAE
LUD. SAM. FRIDER. BARTHOLI





Cum rerum humanarum omnium ea sit natura, ut, quamvis omnibus numeris absolutae videantur, saepe tamen occulto quodam vitio laborent, aut quem gradum perfectionis attigerint, non ita tenere queant, ut ab eo nunquam deiciantur atque in peius mutentur: non est, quod in litteris et doctrinae studiis easdem miremur conversiones, putidumque foret, reu cunctis notissimam exemplis ex omnis aevi memoria depromtis demonstrare. Itaque si quis conditionem, qua hodie et praesertim in his terris litterae vtuntur, diligentius consideret, plurima quidem reperiatur tam bene constituta, vt et sibi gratuletur, quem fortuna huic temporis referuarit, et venienti saeculo aequae laeta ominari possit. Idem vero quaedam offendat superioribus deteriora, aut quae rei litterariae aliquid detrimenti in posterum allatura videantur. Equidem, si quid de praesentibus recte iudicare, aut de futuris coniiicere possum, iam mihi observasse videor, hoc saeculum non admodum serax esse eruditorum talium, qui laboris aequae ac patres et maiores nostri sint patientes; eos intelligo, quos interdum adamantinos vel *χαλκέντεγες* nominarunt; imo, ne die procedente horum numerus etiam minuatur, multis de causis valde vereor. Primo mollities illa atque luxuria, quam communem huius aevi morbum iure dixeris, non solum plerorumque animos vel paululum fregit, sed quod ego litteris in primis noxium duco, etiam corporis robur magis magisque attenuat. Vera atque solida eruditio, neque lucri faciendi angustiis circumscripta, sine multo et assiduo labore neque comparari, neque in aliorum vsum satis conferri potest. Iam longe illos errare constat, qui huic labori solas animi vires sufficere, et corporis nullam omnino rationem habendam esse, credant. Parum procedit agitatio mentis, morborum vi interrupta

aut corporis imbecillitate retardata. Quis valetudine aliquando vel leuiter affecta non sensit, meditando, scribendi imo assidue legendi operam, alias sibi iucundissimam, tunc laborem molestiae plenum, atque eadem de causa parum operis absolutum fuisse? Sed quomodo cum illis comparatum putemus, qui per omnem fere vitam iniqua cum valetudine consistantur, mentisque alacritatem infirmitate corporis semper fere destitui vident? Atqui horum numerum iam indies augeri, vel inde patere existimo, quod laeuis ille morbus, cui ab hypochondriis nomen est, olim fere ignotus, nunc maiorem prope eruditorum partem inuasit, eamque ob causam vereri possumus, ne tandem vix vllus ab isto malo intactus reperiat.

Alia causa est in ratione quadam institutionis puerilis, quam nostri homines reconditam sapientiam arbitrantur, ego, vt lenissime dicam, consilium male intellectum nominauerim. Iubent enim discipulis omnem laboris molestiam demi, nec puerorum ingenia seueriori disciplina contineri, ne taedio laboris a studiis deterreantur, et onus, quod inuiti suslineant, abiicere quaerant. Quos vti aliqua ex parte verum vidisse fatemur, ita ad hanc normam omnem studiorum rationem dirigendam esse, constanter negabimus. Durus quidem et prope inhumanus esset, qui ea, quae faciliore ratione mentibus instillari possent, docendi peruerfitate ipse redderet difficiliora: ast qui omnem institutionem lusus quam disciplinae similiorem esse cupit, nimis mihi indulgens videtur. Qua in re ipsum Ciceronem consentientem habeo, qui filium monet, tantum in philosophiae studio efficiat, quantum conuicti animo, quantumque labore contendere possit. (de Offic. L. III, c. 2.) Et quamquam idem dubitat, sitne discendi labor potius quam voluptas: hoc ipsum tamen ostendit, qui animum ad studia adunxerit, omni labore prorsus vacare non posse; quod quidem est verissimum. Iam de contentione cogitandi, de exercendi cura, de scribendi diligentia nihil dicam: vel legendi et cognoscendi studium, quod propter scientiae suauitatem mollibus quoque animis non admodum grane est, his tamen, si non sit intermissum, ipsa assiduitate molestiam creabit. Hinc maiorum sapientia in puero, qui studiis se dicare vellet, hoc in primis requirebat, ut operi suo, quod institisset, diu multumque assidere posset.

posset. Quod vero haec assiduitas omnino in puerorum leuitatem et inconstantiam non cadit, atque ab alacritate optimorum ingeniorum magis etiam abhorret: aut a disciplinae salubri quadam severitate repetenda est, aut per omnem alicuius vitam desiderabitur, sed cum magno istius damno, qui puer olim manu adeo molli fuit tractatus. Fieri enim nullo modo potest, vt qui sic instituat, nisi ab ingenio sit felicissimus, magnas doctrinae copias sibi comparet, quod ea tantum cognoscit, quae sunt facillima et per se iucunda, dumque per omnem doctrinae campum vagatur, nusquam diu habitat. Verum fac talem quempiam ab ingenio excellenti adiutum summum eruditionis fastidium attingere: saepissime tamen sentiet quam graue sit onus, cui ferendo non in tenera aetate fuerat assuetus. Laborem quouis modo fugiet, et nisi dura urgeat necessitas, otii suauitatem ardui operis utilitati longe anteponet. Iam si quis secum reputabit, quam multis hodie probetur istud praeceptum, quod liberalioris institutionis nomen mentitur, re ipsa vero ignauiam introducit, quanto cum applausu acceptum, quam verissimum iudicatum sit, facile videbit, quid de hac eruditorum veluti subole iam succrescente in posterum sperare liceat.

Haec nobis in mentem venerunt, cum de vita Viri Clariss. atque Doctiss. M. IOANNIS GOTTLIEB BIDERMANNI, Rectoris Gymnasii nostri longe meritissimi scribere institueremus, Viri, qui dum vixit, laborum amantissimus fuit atque patientissimus. Sed erat in eo praestantissimum corporis robur, quod nullis molestiis frangi, vix debilitari poterat. Idem tirocinia litterarum eo tempore posuerat, quo iuueni, qui his studiis se dicasset, plura quam hodie ferenda, sustinendum et algendum esset; hinc onere non grauabatur, quod sustinere mature didicerat. Natus fuit Numburgi ad Salam, a. d. Non. Sept. A. MDCCV. patre *Nicolao*, qui tunc *Wolfgang Rudorsum* adiuuaret in sacris Gros Ienae, qui vicinus pagus est, faciendis; matrem habuit *Joann. Dorotheam* eiusdem Rudorsii filiam. Mature in scholam ciuitatis Numburgensis missus, sub optimis magistris praeclare profecit, vt anno huius saeculi XXIII. iisdem suadentibus ad Vniuersitatem litterarum, Wittebergam recte se conferret. Hic audiit Philosophos pariter atque Theologos ista aetate inprimis nobiles, *Hollmannum Schroerum*

rum, de Berger, Wichmannshausen, Wernsdorfium, Chladenium, Iannum atque Wokenium, cuius sub praesidio dissertationem de mercede diuinatoria, ad Num. xxii, 2. pro cathedra disceptauit. Eodem anno summos in philosophia honores adeptus est, et Academiae deinde a bibliotheca fuit. Hinc Coswicum venit, quod est oppidum Anhaltino-Serueftanum, in domum *Suffemilchii*, Praefecti eiusdem agri, receptus filiorum erudiendorum causa, neque huic muneri soli fuit, sed Pastore huius vrbis primario visu orbato, quaque hebdomade his ad coetum sacrum verba fecit. Ex huius priuatae institutionis angustiis mox in celebritatem deductus est, munere Conrectoris in schola vrbis patriae episcopali A. c1010 cc xxxii, ornatus. Ex quo tempore statim inclaruit, vt non solum Rectori M. Io. *Georgio Schulzio* Ao. xxxxii, succederet, sed ad alias scholas regendas subinde expeteretur. Sed nullam conditionem accepit, praeter hanc *Freibergeusem*, A. xxxxvii, M. *Samuele Mollero*. V. CL. demortuo, a Senatu vrbis Amplissimo sibi oblatam. Huc cum venisset omnibus exoptatissimus, multaque omnium gratia floreret, vrbem atque scholam ita adamauit, vt nullis aliorum institutionibus inde euocari posset.

Matrimonium ter inuit felicissime. Primum anno c1010 cc xxxiiii. cum Io. *Dorothea, Dobenneckeri*, ciuis honesti Numburgensis filia. Anno Lxx. duxit *Christianam Susannam, Hungeri*, Senatoris Ampl. filiam, et vbi hanc quarto anno post sibi satis ereptam videbat, A. Lxvii. Io. *Dorotheam*, filiam *Fr. Aug. Gasselti*, olim apud nos caufarum patroni, *Fritschii* qui civitati Torgauensi a rationibus aerarii sacri fuit, coniugem viduam. Prolem ex prima tantum coniuge suscepit, at laetissimam, xv. liberorum, quorum vero non nisi vi. superflites manserunt, *Fridr. Gottlieb* nat. c1010 cc xxxviii. Magister Artium a Lx. creatus, et paucis diebus post patris obitum Pastor Mauersbergae in Dioecesi Anna-bergenfi designatus; Io. *Gottlieb*, qui nat. A. c1010 cc xxxiiii. summos in arte medica accepit honores A. Lxviii. eamque artem apud nos magna cum laude atque felicitate exercet. *Regina Sophia*, nat. A. c1010 cc xxxvi. nupta M. *Rammingio*, qui in pago Lastauensi prope Coldizium sacra curat; *Eleonora Christiana* nat. c1010 cc L. Io *Gottfried* nat. A. Lvii et Io. *Friderica*, nat. A. Lviii. Nepotes quoque vidit quinque ex filia natu

tu maxima, *Io. Dorothea*, quae cum *Schmiedero*, Pastore Grosspartwi-
zenli in Lusatia superiori, in matrimonio vixit, sed ante patrem decessit,
et alios quinque ex Regina Sophia superius dicta.

Tandem quae ad morbum Viri fatalem atinent, filius eius,
Medicus doctissimus, his verbis nobiscum communicauit: „ Ex quo in
„ amplexu patris optimi redieram, curam sanitatis eius, quanto fieri
„ poterat studio, gerebam, quae licet, quod ipsum saepe narrasse memi-
„ ni, in iuuenili aetate parum constans videretur, progressu tamen tem-
„ poris firmata, verum et sufficiens corpori robur comparauit, adeo, vt
„ a tribus grauioribus morbis, quorum vltimus anno MDCCCLXXVII. is-
„ que admodum periculosus eum corripiebat, facile conualesceret. Ve-
„ rum vt totius corporis habitus strictior erat, ita sensim, appropin-
„ quante senio dispositionem ad coagula humorum lymphaticorum
„ perspicue animaduertebam, quam cum diaetae regulis tum medica-
„ mentis commodo tempore datis vincere allaborabam. Neque mor-
„ bum, cuius initia admodum lenta erant, adeo subito exitialem fieri
„ potuisse adhuc persuasus sum, nisi tristiores animi affectus, a variis
„ aegritudinum generibus profecti, ipsum clam fouissent. Sic sanus
„ visus die XXIII. Iunii iter ad amicum suscipiebat, eiusque domum
„ sanus, quod omnes putabant, relinquebat, aegrotus autem vesperi redi-
„ bat, ita quidem, vt mihi morbus adeo subito ingrauescens, summi
„ periculi timorem incuteret. Cum plenaria enim lortii suppressione
„ alijs constipata erat, abdomen tensum vehementissimeque dolens,
„ vesica protusa et durissima. In auxilium ergo vocaui collegam aman-
„ tissimum, *Experientiss. Lutherum*, qui iam olim ei medelam attulerat,
„ *Falknerum*que chirurgum dexterrimum, et omnibus quibus locus erat
„ adhibitis remedijs, subitus morbi impetus fractus est, adeo vt nonni-
„ hil spei affulgeret, tam carum aegrum sanitati restitui posse: sed noctes
„ insomnes, in quibus semper dolores recrudescabant, singultus inter-
„ dum accedens, animus abiectus et tumor pedum multum quidem
„ imminutus ad semper adhuc superstes metum funesti euentus depo-
„ nere non sinebant. Igitur postquam vesperi diei xxx. Iulij multa no-
„ biscum collocutus esset, et hilaritatem vigoremque forsitan magis
„ simulasset quam prodidisset, nocte subsequente morbus exacerbatus
„ vires

„vires adeo prosternebat, vt eae nullo modo refici possent, sed eodem
„die pulsus ad vigesimum, altero die ad decimum imo ad septimum
„ictum descenderet, abdomine rursus intumescente et obscura fluctuatio-
„nis indicia praebente. Quousque ergo fieri poterat, subinde dato vini
„generosi haustu, cum ab aliis medicamentis abhorreret iam natura,
„vires seruare studui, cum interea aeger precibus Virorum Reuerendd.
„Hungeri, Mollerii, Pistorii se adiungens, animum ad instantem ex hac
„vita discessum pararet, et quae coniugem, patrem, amicum decent,
„constanti mente exlequeretur. Sic exhaustis sensim viribus, mentis
„tamen ad extremum vsque momentum compos, die III. Augusti inter
„horam matutinam sextam et septimam placidissime exspirabat,

Vt vero, quae haecenus exposuimus, magis hominis sunt, quam
docti viri; itaque in tali vita non profus quidem negligenda, attamen
nec valde vtilia neque admodum iucunda scitu videntur. Quare iam
in nostro eruditionis virtutes considerabimus, et quibus naturae dotibus
ornatus, quibus doctrinae praesidiis instructus, qualis in docendi scri-
bendiue ratione fuerit, quae praemia laudis tulerit, ita dicemus, vt
imago eius, quam plane exprimendam nobis non sumimus, quodam-
modo tamen adumbrata videatur, et omnis communibus saltem prop-
ria Viri cognosci possint. Corporis totius habitus is fuit, qui non
parum dignitatis haberet; statura proceras, et qualem Nepos in Iphi-
crate imperatoriam dixit, quaeque in rectore iuuentutis non minoris
aestimanda est, vt ad speculum ipso iniiceret reuerentiam sui. Oris atque
frontis insignis hilaritas atque comitas, ab animi tranquillitate et facili-
tate profecta, granitate tamen, et si quando opus esset, seueritate ita
mixta, vt omnis morositas longe abesset. Eadem sermonis gratia
fuit, leporibus etiam atque facetiis interdum condita, vt hac de causa
homines quoque a litterarum studii alieni eius consuetudine valde dele-
ctarentur. Animi dotes eximiae fuerunt, in primis vero memoriae
magnitudine ingeniique solertia excelluit, quod tamen non ita in-
tellectum velim, vt aliquis vulgari errore abreptus vi iudicandi quidquam
detrahit putet; quemadmodum, si quendam oculorum acie in primis
valuisse commemorarem, nemo eundem audiendi facultate priuatum
putaret. Inueniendi igitur quae fuerit facilitas, saepe cognouerunt,
qui

qui difficilem aliquam quaestionem ei proponerent. Etenim nunquam fere in respondendo haesitabat, sed nodum vel omnino soluebat, vel aliquod tamen reperiebat, quo quaerenti interea satisfaceret. Cum animum ad scribendum appulisset, negotium sine multa contentione felicissime procedebat, ut breui sat multum operis profligaret. Memoriae bonitas ex multitudine lectionis, quam omnia eius scripta testantur, facile colligi potest. Eius vis inprimis conspiciebatur in diuturnitate retinendi eorum, quae olim arripuisset, ut v. c. rariora vocabula latinitatis, obsoleta, arti cuidam propria tam in promptu haberet, quam quotidiano vsu maxime frequentata.

His natae praesidiis adiutus, litterisque per omnem vitam vnicè deditus necesse fuit, ut in quolibet studiorum genere, cui operam suam dicasset, magnopere emineret. Iam vero hoc minime nobis arrogamus, ut, quantus in qualibet arte fuerit, definire conemur; attamen qualis in singulis fuerit, dicere liceat. Litteras graecas et latinas eo quidem nomine maximi fecit, quod ad culturam ingeniorum maxime sunt accommodatae; et qui aliter de iis indicare potuerit? magis tamen ut praesidia reliquarum disciplinarum coluit, atque in se spectatas, praecipue ob antiquitatis memoriam amavit; vtrumque ex ratione istius aetatis, in qua primum ad haec sacra accesserat. Nouimus enim, quae ante Gesneri atque Ernestii tempora plerique nostratum in veterum auctoribus legendis sequuti sint. His patrii sermonis, gallici atque italici non medioere studium adhaerent. In hebraicae linguae scientia, quod litterarum genus vna cum poesi latina in deliciis habebat, ita excelluit, ut primarum hoc in genere partium merito haberetur. In primis in Grammatica regnabat, cuius etiam elementa peculiari libello tradidit: atque hunc lectionibus quoque academicis adhibitum cognoui. Imo rerum minutarum, quarum in hac arte magnus est numerus, adeo non fuit pertaesus, ut editionem codicis hebraei, anno huius saeculi LVI. Lipsiae curatam, a capite ad calcem perlegeret, et errores operarum non in litteris solum, sed punctis quoque vocalibus atque accentuum ratione summa diligentia annotaret. Caeterum hac ex parte Danzii disciplinam sequebatur; neque aliarum linguarum orientis, ut Syriacae, Arabicae, experts erat. Philosophiam

B

minime

minime neglexerat adolescens, id quod docendi ratione cognitum fuit, neque cum ad maturam aetatem peruenisset, contempsit, aut aliquid de studio eius remisisse visus est. In rerum sacrarum scientia, quaque patet, is fuit, in quo Wernsdorfii, summi quondam Theologi discipulum agnosceres; quod vnum Viro hac in re describendo atque etiam laudando sufficere mihi videtur.

Iam docendi genus multa bona habuit. Primo assiduitatem, quae tanta fuit, ut tantummodo discipulis institutioni suae commissis viuere videretur, utque temporis a docendo vacui partem longe maximam scholasticis laboribus impenderet. Alia eius dos constantia fuit, ut quam sapienter elegisset rationem, multoque vsu vidisset probatam, ea per omnem vitam vteretur. Hanc imprimis commendabat perspicuitas, non illa quidem ieiuna, sed copia doctrinae et orationis suauitate condita. In rerum vel delectu vel tractatione omnia ad usum suorum reuocabat. Fuere eius quoque artes quaedam docendi singulares. Sic ubi nonnulla accuratius tenenda calamo excipi iusserat, saepe miratus sum, quam apte caput aliquod doctrinae in formulas breues (aphorismos vocant) redigeret, ut in earum breuitate nihil desiderari, in subtilitate nihil non intelligi posset. Quanquam igitur in docendo ingeniosus, attamen non iracundus fuit, neque quorundam tarditatem vel etiam stuporem moleste tulit; imo horum causa ad prima artis elementa interdum descendere, non est grauatus. Quos vero quacunque de causa a studiis plane abhorrentes, aut ab ingenio ita imparatos intelligeret, ut inuita Minerva litteris operam inanem darent, iis neque leuiores medicinam adhibuit. Omnino disciplinam scholasticam diligenter quidem, at liberaliter rexit, cum Micione illo Terentii longe illos errare ratus, *qui imperium credant grauius esse aut stabilius, vi quod fit, quam illud, quod amicitia adiungitur.* Itaque omnia prius experiebatur monendo atque hortando, quam durioribus poenarum remediis vteretur.

Ingenii quae monumenta reliquit, non quidem integri sunt libri, exceptis illis linguae hebraeae initiis (*Anfangsgründe der hebräischen Sprache*, Leipzig 1762. 8) sed quod scriptis eius ad magnitudinem

nem deest, multitudine eorum facile compensatur. Sunt ea, multa carmina omnis generis, in his etiam non nulla graeca; disputatiu- culae per ephemerides eruditorum sparsae, inprimis vero Profusiones orationum a discipulis habendarum, (cui generi exercitationis ille per- multum semper tribuit.) Harum titulos multi hoc loco desiderabunt; sed arbitrabamur nos ob chartarum angustias facile excusatos fore; caeterum *Strodtmannus* et *Harlesius* infra laudandi consuli possunt. Argumenta plerumque ex litteris sacris et profanis, inprimis notitia antiquitatis desamferat. Eas quoque iunctim edere coeperat, prodie- runt igitur *Otia litteraria varii argumenti*, Lips. 1751. octonis, prae- fatione Mosheimii vehementer ornata atque commendata: sed parte prima absoluta totum consilium abiicere cogebatur. Quod fatum libri eo durius videtur, quo melius noster de aliorum talibus scriptis meruerat. Nota sunt opera viri, in quibus varia, quae celeberrimi scholarum doctores scripsissent, collegit, quamobrem ea breuissime tan- tum indicabimus. Edidit igitur *Acta scholastica*, Vol. I - 8. Lips. 1741 - 1748. *Selecta Scholastica* Vol. I. II. Numburg. 1744 - 1746. *Nova acta Scholastica* Vol. I. II. Lips. 1749 - 1751. *Altes und Neues von Schulsachen*, I - 8 B. Halle, 1752 - 1755.

Neque tandem laborum ac doctrinae praemiis caruit, multa inprimis exilimatione et nominis celebritate florens. Contigit illi esse tam felici, ut qualis in iuuentute instituenda esset, hoc est dexterrimus, talis etiam ab omnibus agnosceretur. Itaque, ut supra diximus, ad alias scholas regendas subinde expetebatur. Numburgi cum degeret, vicina Zicensis schola, ter eum requisivit; mox etiam Guelpherbytana et Stralsun- dina. Nobis vero virum inuidere videbantur Halenses, mortuo Gassero, R. Budissenfes, post obitum Rect. Zeiskii, Zittauiensis, Gerlachio, et Bero- linenfes Wippelio Rect. rebus humanis ereptis. Haec fama augebatur etiam atque conseruabatur litterarum commercio, quod illi cum omnibus fere fuit, qui eadem studia amarent. Horum nomina in praefatione Vol. II. Nou. Act. Schol. recensuit, quae septem paginas implent. Hinc qui vitas eruditorum nostrae aetatis celebriorum scripsere, de nostro quoque exposuerunt, ut *Strodtmannus* in der Geschichte ietztlebender Gelehrten, P. X. p. 419 - 440. cuius narrationem continuatam vide P. XIII. des Neuen

Neuen gelehrten Europa, p. 252 - 259. Nuper vero idem fecit *Harlesus*
V. CL. in *Vitis Philologorum nostra aetate clarissimorum*, T. II,
p. 137 - 162.

Talis igitur cum Noster olim fuerit, facile colligitur, quanto-
pere hanc scholam eo moderatore floruisse statuamus, et quam grauitur
eius inopinata morte afflictam. Vt vero Viro de nobis optime
merito iusta quodammodo persoluamus, eius memoriam pauegyri
solemni recolere institimus, in illis aliquot discipulis, ob ingenii toler-
tiam et acerrimum litterarum studium inprimis laudandis, huic pietatis
officio satisfacere. Itaque

IVSTVS FRIDR. KOCH,

Frauenstein,

oratione latina demonstrabit: *Laudibus viri eruditi non obflare quod
artes nouis inuenit non lacupletauerit.* Deinde

GOTTHELF SIGISM. RICHTER,

Schellenberg.

eodem sermonis genere vsus ostendet: *In laudibus viri eruditi res
externas non esse spectandas.* Denique

IO. FRIDR. ESCHKE,

Freiberg.

vernacula oratione explicabit: *Tantum viro docto laudis deberi, quan-
tum labore suo aliorum commodis inseruiat.*

Cui instituto vt VOS, PATRONI atque FAVTORES,
fauere, et crastino die hora locoque consueto frequentes conuenire
velitis, humanissime quidem, at non verbose rogamus. Namque amo-
rem Vestrum in has litteras, in hoc Gymnasium et in b. BIDER-
MANNVM talem cognouimus, vt hoc vel absque ambitiosis precibus
a VOBIS impetrare nullo modo dubitemus. Freib.

d. xxvi. Nouembr. A. cto 10 cc LXXII.

Yb 627

ULB Halle 3
001 508 164



(811148)

TA→OL







AD MEMORIAM
VIRI
PRAENOBILISSIMI AMPLISSIMI
DOCTISSIMI
M. IOANNIS GOTTLIEB
BIDERMANNI

RECTORIS GYMNASII FREIBERGENSIS
MERITISSIMI CELEBERRIMI
ORATIONIBVS ALIQVOT RECOLENDAM

HVMANISSIME INVITAT

M. DAN. GOTTH. IOSEPHVS HVBLERVS
CONR.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

MDCCCXVIII.